ADNOTATIONES AD VERGILII AENEIDEM

Otto Güthling



Aeneidem a Vergilio, immatura morte prohibito, non perfectam absolutamque esse, ipsum carmen documento est; insunt enim duodesexaginta versiculi imperfecti*). Quod qui reputaverit, non mirabitur, non omnia in hoc carmine optime dicta esse et explicata, et verecundius carmen recensebit, quam Hofman-Peerlkampius, Gentius, Ribbeckius alii videntur fecisse. Neque omnes locos carminis, quod non perpolitum esse constat, temptabit et mutabit, qui quidem aliquid offensionis videantur habere. Equidem eius generis locis abstinui, eos potissimum locos emendare conatus, in quibus haud dubie mendum aliquod videretur latere.

*) Quamquam Weidnerus (Comment. ad Verg. Aen. I et II) consulto Vergilium illos versus imperfectos scripsisse iudicavit, tamen dico contra propterea quod eius generis versus a consuetudine poetarum epicorum alienissimi sunt. —

Wendlandtius (Zeitschr. f. d. GW 1875 p. 385 sqq.) undesexaginta versus imperfectos esse existimavit, nam Aen. III, 74 non integrum putavit. Contra alii, ut Ladewigius, hunc versum perfectum esse censuerunt, dummodo hiatus admitterentur. Cf. Schaperus ad Aen. VII, 225. —

I.

Aen. I, 84 sqq.

Incubuere mari totumque a sedibus imis
Una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis
Africus et vastos volvunt ad litora fluctus.
Insequitur clamorque virum stridorque rudentum.

Priscianus respiciens ad locum qui est XI, 192

It caelo clamorque virum clangorque tubarum

hoc quoque loco pro languida et ieiuna illa voce insequitur reponendum esse existimat it caelo, quae locutio Vergilio vehementer placuit; cf. V, 451

It clamor caelo primusque adcurrit Acestes; et IV, 665
— — — It clamor ad alta
Atria.

Quae Prisciani coniectura mihi quidem probabilis videtur esse, sed non minus saepe poëta similibus locis posuit verbum exoritur. Cf. II, 313

Exoritur clamorque virum clangorque tubarum;

III, 99

— — mixtoque ingens exorta tumultu
Laetitia e. qu. s.

ib. 128

Nauticus exoritur vario certamine clamor.

V, 765

Exoritur procurva ingens per litora fletus.

Cum autem exoritur minus audacter scribatur quam it caelo, citius scripserim *exoritur*.

II.

Aen. I, 375 sqq.

Nos Troia antiqua — si vestras forte per auris
Troiae nomen iit — diversa per aequora vectos
Forte sua Libycis tempestas adpulit oris.

Usque ad hoc tempus, quod sciam, duo tantum viri docti, et ii artis criticae peritissimi, verba forte sua sine dubio conrupta emendare conati sunt: Peerlkampius et Jacobus Marinus Gentius. Ille verba forte sua molesta ac difficilia esse existimans et quorundam codicum lectionem, in quibus est iactos pro vectos et mala pro sua, secutus coniectura audaci legi vult

— — diversa per aequora *ventis*
Iactatos, Libycis tempestas adpulit oris.

Quae lectio mirum quantum discrepat a scriptura codicum. Gentius*) scribi vult orta furens pro forte sua, adferens locum qui est

V, 694

Tempestas sine more *furit.*

Neutra lectio mihi probatur, quamquam vere iudicasse mihi videntur illi viri docti, mendum aliquod inesse in verbis. Locum mutandum esse, manifestum est, si contemplere sententiarum ordinem.

Cum enim ventis Iunonis rogatu ab Aeolo inmissis ex viginti navibus Aeneae tredecim fractae et submersae essent (cf. I, 381 sqq.), Neptuni interventu ventis fugatis mare pacatum est. Tum septem naves, quae ex tempestate erant

*) Annot. critic. in Verg. Aen. p. 2 sqq.

reliquae, ipsi Troiani ad oram Libyae, cum esset proxima, adpulerunt, ut naves reficerent et corpora curarent (cf. I, 157—158). Quae cum ita sint, vocabulum adpulit idem est atque effecit, ut naves adpelleremus. Quod si verum est, vocabula forte sua sunt alienissima; nam tempestas non forte sua i. e. illa forte, quae tempestatis propria est (Forbigerus), effecit, ut Troiani naves ad Libyae oram adpellerent, sed naves adflictans. Itaque scribendum videtur

Fraude sua,

quae verba eo aptiora sunt hoc loco, quod Aeneas Italiam petens invitus naves adflictas ad Libyam adpulit*).

III.

Aen. I, 459 sqq.

Constitit et lacrimans: quis iam locus, inquit, Achate,
Quae regio in terris nostri non plena laboris?
En Priamus. Sunt hic etiam sua praemia laudi;
Sunt lacrimae *rerum et* mentem mortalia tangunt.

Persuasum habeo mendum inesse in verbo rerum, quod quo modo explicem nescio. Omnes fere editores rerum genetivum obiectivum esse arbitrantur (ut Ladewigius: Es giebt noch Menschen, welche Thränen für das Unglück haben) provocantes ad locos qui sunt
II, 784

— — lacrimas dilectae pelle Creusae,

i. e. ob Creusam amissam effusas;

---

*) Schaperus in Zeitschrift für das Gymnasial Wesen 1877 p. 85 verba forte sua indicat esse treffende Worte des Dichters, quod mihi non liquet, cur dixerit.

II, 413

— — ereptae virginis ira,

i. e. ob ereptam virginem;

X, 863

Lausi dolores,

i. e. ex Lausi caede.

Eurip. Hecub. 760

ὁρᾷς νεκρὸν τόνδ' οὗ καταστάζω δάκρυ;

Sed illis omnibus locis nihil proficitur ad explicandum hunc locum; desidero enim dativum a lacrimae pendentem, sicut in praecedenti versu dativus laudi pendet a praemia (cf. Gentius l. l. p. 4). In Gossravii et Kappesii explicatione: rerum hier wohl nur aus metrischem Grunde für rebus. Genetiv und Dativ wechseln in der epischen Sprache leicht ab — haud scio an quisquam acquiescat.

Existimans igitur, vocabulum rerum falsum esse, Gentius acute scripsit

Sunt lacrumae *aerumnis*: Gentem mortalia tangunt,

recepta Petri Burmanni coniectura gentem pro mentem. Peerlkampius, cum in codicibus plerumque scribatur RERV et MENTE lineola supra ultimas vocales ducta, et ATQVE compendio exprimatur, non multum mutari censet, si legatur:

Sunt lacrimae, *reor*, *atque homines* mortalia tangunt.

Concedendum est, vocabula rerum et reor facile confundi potuisse a scribis, sed atque homines audacius ab illo viro docto positum mihi videtur esse.

Si accurate ductum literarum, quae extant in codicibus, consideres, haud scio an Vergilius scripserit:

Sunt lacrimae *miseris:* mentem mortalia tangunt.

Recepi Gentium secutus punctum duplicatum copula et deleta. Syllaba mi in miseris facile omitti potuit propter praecedentem syllabam mae; seris et rerum non multum differunt.

Adiectivum miser Vergilius saepe posuit, cum sermo est de Aenea et comitibus eius errantibus, ut paulo infra v. 630 Dido infelices Troianos consolatur his verbis:

Non ignara mali *miseris* succurrere disco.

IV.

Aen. II, 34 sqq.

At Capys, et quorum melior sententia menti,
Aut pelago Danaum insidias suspectaque dona
Praecipitare iubent subiectis*que* urere flammis,
Aut terebrare cavas uteri et temptare latebras.

Hoc loco tres adferuntur sententiae: Capys enim aliique suadent civibus, ut Danaum insidias aut in mare coniciant, aut flammis comburant, aut terebrent temptentque cavas uteri latebras. Eam ob rem, quamquam plurimi codices habent subiectis*que*, Heynius scripsit subiectis*ve* testante Servio: antiqua exemplaria *ve* habere inveniuntur. Hoc *ve* rectum mihi videtur esse, nam eodem tempore suaderi et fieri non potest, ut ligneus ille equus et in mare coniciatur et flammis subiectis cremetur; unum per se satis est ad abolendum.

Multi autem viri docti arbitrantur, multis locis simplicem copulam positam esse pro particulis disiunctivis, ut
III, 459

Et quo quemque modo fugias*que* feras*que* laborem,

quod Wagnerus*) interpretatur: *vel* fugias *vel* feras, quam sententiam probat Forbigerus; sed que — que nihil aliud videtur esse hoc loco nisi vulgares particulae copulativae et — et.

V, 51 sqq.

Hunc ego Gaetulis agerem si Syrtibus exul
Argolicove mari deprensus *et* urbe Mycenae
e. qu. s.

Particulam et Wagnerus l. l., ut id, quod de illis particulis disputavit, obtineat, pro vel, aut positam esse hoc quoque loco censet, quod haud scio an quisquam probaturus sit. Duo enim, ut vere dicit Forbigerus, quem secuti sunt Ladewigius, Brycius, Coningtonius, Benoistius, hostium genera distinguit poeta, Afros inhospitales et Graecos, quod satis duplex praedicatum exul et deprensus indicat; qua re recte dicit: Gaetulis Syrtibus Argolico*ve* mari *et* urbe Mycenae.

ib. 784 lego, quinque codices et Peerlkampium et Brycium secutus,

Nec Jovis imperio fatis*ve* infracta quiescit,

non fatis*que*.

Quae cum ita sint, et cum Wagneri ratio de particulis copulativis pro disiunctivis non satis probata sit, censeo

*) Quaest. Virg. XXXIV, 1.

equidem, non solum hoc loco subiectis*ve* et V, 784 fatis*ve* legendum esse, sed etiam usum illum particularum copulativarum pro disiunctivis omnino a Vergilio abiudicandum esse.

V.

Aen. II, 347 sqq.

Quos ubi confertos audere in proelia vidi,
Incipio *super his: iuvenes, fortissima frustra*
Pectora, si vobis audentem extrema cupido
Certa sequi, quae sit rebus fortuna, videtis.

Quaerendum est hoc loco, utrum audentem an audendi legendum sit, utrumque enim in codicibus est. A Servio usque ad recentissimos interpretes Vergilii hic locus viros doctos multum vexavit, maxime autem Peerlkampium, qui audacissime mutatum locum sic scripsit:

Incipio: quae sit rebus fortuna videtis:
Excessere omnes, adytisque arisque relictis
Di, quibus imperium hoc steterat, succurritis urbi
Incensae, sero, o iuvenes, fortissima frustra
Pectora! si vobis audentem extrema cupido
Certa sequi, moriamur, et in media arma ruamus.
Una salus victis nullam sperare salutem.

Equidem malim longe plurimos editores sequens legere audentem quam audendi. Si enim legas audendi, infinitivus sequi putandus est obtinere locum imperativi, qui usus

infinitivi pro imperativo a Latinis omnino alienus est,*) neque cum hoc loco conferendi sunt loci qui sunt II, 707 (imponere) et III, 405 (velare), nam et imponere et velare sunt imperativi passivi, quod subtiliter exposuit Gustavus Schroeterus**). Itaque a me impetrare non potui, ut Ladewigio adsentirer, qui imponere et velare pro infinitivis habet scriptis more Homerico pro imperativis.

Sed quamquam facilis et expedita oratio videtur esse, si legas audentem, tamen locus suspectus est multis nominibus. Aeneas enim socios adpellat fortissima frustra pectora; quibus verbis haud dubie significatur, in posterum fortitudinem irritam esse, cum nihil fortitudine effectum sit. Itaque nihil causae est, cur Aeneas ex sociis quaerat, velintne extrema audere, cum praesertim videant, quo loco res Troiana sit. Nihil superesse nisi id unum, ut moriantur ruentes in arma. Sed non solum sententiarum ordo et nexus videtur turbari verbis

— super his: Iuvenes, fortissima frustra
Pectora, si vobis audentem extrema cupido
Certa sequi —,

sed etiam, si ipsa verba spectes, licet dubitare, num ratio grammatica sinat scribi incipio super his. Primum enim dubium est, num liceat dicere incipio his, et deinde, quid super hoc loco significet, non facile dixeris. Etiamsi concedatur, super esse pro insuper, vix sententia tolerabilis videatur esse. His causis adductus sum, ut duos versiculos eicerem locumque hunc in modum scriberem:

Quos ubi confertos audere in proelia vidi,
Incipio: Quae sit rebus fortuna, videtis e. qu. s.

*) Cf. Wagner. lect. Virg. p. 377 et Häckermann Zeitschr. f. d. Gymn.-Wesen XIX p. 105.

**) In disputatione illa: Der Accusativ nach passiven Verben in der lateinischen Dichtersprache. Gr.-Glogau 1870 p. 11.

VI.

Aen. II, 396.

Vadimus inmixti Danais haud numine *nostro*.

Ablativum absolutum haud numine nostro significare averso, non propitio numine (nobis), omnium fere editorum sententia est, ut Forbigeri, Ladewigii, Kappesii aliorum; similiter explicat Gossravius: non a nostris diis defensi, quos avertimus signis mutatis. Primus omnium Dietschius*) demonstravit, pronomina possessiva significare non posse, quid cui propitium vel secundum esset, quam sententiam secutus est Häckermannus**), neque ego dubito hanc sententiam probare. Sed utriusque viri docti coniecturam improbo, et Dietschii indumine falso***) et Häckermanni ex Nonio p. 143 sumptam lectionem nomine pro numine; arbitror, corruptelam latere non in numine sed in nostro, et legendum puto

Vadimus inmixti Danais haud numine *dextro*.
Verbum dexter multum ac saepe de dis et numinibus usurpari, inter omnes constat; cf.

IV, 578 sqq.

Adsis o placidusque iuves et sidera caelo
Dextra feras.

---

*) Theol. Verg. p. 9.

**) Cf. Commentatio in Aeneidos librum alterum. Greifswald 1863 p. 28.

***) Indumine ea de causa a me improbatur, quod Latinum non est; indumentum reperimus apud Gellium, Aurelium Victorem, Ammianum Marcellinum.

VIII, 301 sqq.

Salve, vera Iovis proles, decus addite divis,
Et nos et tua *dexter* adi pede sacra secundo.

Alios ex aliis poetis locos multos adferre possum, sed satis habeo eius rei studiosos delegare ad

Ovid. Trist. V, 3, 57

Sic igitur *dextro* faciatis Apolline carmen.

Pers. V, 113 sqq.

Haec mea sunt, teneo, cum vere dixeris, esto,
Liberque ac sapiens, praetoribus ac Iove
dextro.

Val. Fl. I, 245

— deus haec, deus omine *dextro*
Imperat.

Stat. Silv. III, 4, 63

— — — o sidere *dextro*
Edite, multa tibi divum indulgentia favit*).

Quamquam haud ignoro, dextro pro nostro audacem esse coniecturam; sed verbum nostro adeo conruptum mihi videbatur, ut non sanari nisi audaci coniectura potuerit.

VII.

Aen. II, 710 sqq.

— — — mihi parvus Julus
Sit comes et *longe* servet vestigia coniunx.

Cum Creusa grata acceptaque Aeneae esset, admodum mirandum videtur esse, quid causae fuerit, cur Aeneas coniugem

*) Cf. Quint. IV prooem. 5 *dexter* ac volens adsit.

iuberet longe sequi (longe servet vestigia coniunx). Servius a. h. l. haec: Bene ire singulos (Aeneas) facit, scit enim, multitudinem facile posse deprehendi. Sed hanc explicationem incommodam esse, nemo non videt. Vere enim Schenklius iudicat, non decere uxorem *longe* post tergum mariti ire, servos decere, numquam et nusquam uxorem. Accedit, quod paulo post 725 legimus pone subit coniunx, quae verba documento sunt, non longo intervallo secutam esse Creusam. Eam ob rem Schenklius*) longe iure ac merito falsum existimans scripsit *atque legens;* propius autem ad scripturam codicum accedere mihi videtur H. Brandtii**) coniectura *et lente.* Schirachio (cf. Forbigerus a. h. l.) vox longe suspicionem movit, sed emendationem non adtulit.

Quae cum ita sint, Brandtii rationem secutus scripserim et lente, Schenklii enim illud atque legens, quamquam per se aptissimum est, audacius scribi videtur. Si quis Brandtii emendationem reiciat, vix poterit facere, quin scribat *haud longe*, quod loci ratio et natura videtur postulare.

VIII.

Aen. IV, 31 sqq.

Anna refert: o luce magis dilecta sorori,
Solane perpetua maerens carpere iuventa,
Nec dulcis natos, Veneris *nec* praemia noris?

Hunc quoque locum, ut I, 375 sqq., quod sciam, Peerlkampius et Gentius primi conruptum existimarunt. Gentius vere mihi videtur dixisse, alienam ab hoc loco esse

*) In: Zeitschrift f. d. oesterr. Gymn. 1870 p. 394.

**) Cf. Zur Kritik und Exegese von Vergils Aeneis I—III. Bernburg 1876 p. 15 sqq.

particulam disiunctivam nec*), quia non de diversis, sed de una eademque re sermo sit, neque esse Veneris praemia voluptates et oblectamenta coniugii, sed huius fructus, liberos. Eodem modo de loco iudicat Peerlkampius: negat enim, gaudia amoris esse posse praemia Veneris, ipsos dulces natos praemia Veneris sive conubii iure adpellari censet. Equidem horum hominum doctorum sententiis plane adsentior, a me tamen impetrare non potui, ut aut Gentii emendationem scribentis Veneris *haec* praemia aut Peerlkampii, qui vult legi Veneris *pia* praemia, non improbarem. Peerlkampii enim emendatio haud scio an audacior sit; accedit, quod pia praemia vix intellego, quaenam sint. Gentii vero emendatio, nisi verba Veneris haec praemia per interclusionem scripta existimantur, rationi grammaticae et metricae repugnat. Sed cum Anna, quae animo commotior est, sororem crebris interrogationibus adpellet, quarum ambitus non ita magnus est, interclusio haud sane idonea videtur. Itaque malim scribere

Nec dulcis natos, Veneris *quae* praemia, noris?

---

*) Quae Ladewigius explicat: nec — nec steht nicht immer disiunctiv, sondern führt zuweilen Nüancen desselben Gedanken ein — provocans ad G. IV, 198 et III, 585, probare non possum.

IX.

Aen. IV, 124 sqq.

Speluncam Dido dux et Troianus eandem
Devenient. Adero et, tua si mihi certa voluntas,
Conubio iungam *stabili propriamque dicabo.*
Hic Hymenaeus erit. Non adversata petenti
Adnuit atque dolis risit Cytherea repertis.

Sic legitur in omnibus codicibus, nisi quod in R*) est aversata pro adversata. Versum 126 iam legimus I, 73, unde male in hunc locum translatum esse censet Peerlkampius hac addita adnotatione: Conubium his verbis significatur plane legitimum, solemni ritu initum. Sed tale conubium ita in spelunca contrahi non poterat. Imo in spelunca *aliquid* fieret, unde conubium stabile oriretur. Hoc *aliquid* Iuno honeste *Hymenaeum* adpellat. — — Dido quidem hoc vocabat postea *coniugium*, sed Aeneas se non in ea foedera venisse testabatur. Quod quamquam vere mihi videtur esse dictum, et omnes fere editores, Gossravio et Schapero exceptis, hunc versum eiecerunt, tamen locus non videtur esse sanatus. Iuno enim omnibus viribus id egit, ut Aeneam cum Didone conubio iungeret. Eam ob rem equidem non facile caream verbis conubio iungam. Mendum autem latere videtur in verbis Hic Hymenaeus erit. Nam singularis numerus Hymenaeus nullo modo significare potest Hochzeitsfeier, Vermählung, qua si significatione opus est, Vergilius semper posuit numerum pluralem; cf.

---

*) Eadem codd. notatione usus sum, ac Ribbeckius.

I, 651.

Pergama cum peteret inconcessosque *Hymenaeos.*

IV, 99; VI, 623; X, 720; XI, 217.
Praeterea verbo Hymenaeus exprimi potest nostrum Brautgesang, Brautlied; sed loci, qui sunt

G. IV, 516

Nulla Venus, non ulli animum flexere *Hymenaei*,

et VII, 398.

Ipsa inter medias flagrantem fervida pinum
Sustinet ac natae Turnique canit *Hymenaeos*,

documento sunt, Vergilium, si voce utitur Hymenaeus, ut reddat germanicum Brautgesang, Brautlied, pluralem praeferre numero singulari, qui hoc tantum loco invenitur.

Quae cum ita sint, equidem legendum esse censeo hunc in modum:

Speluncam Dido dux et Troianus eandem
Devenient. Adero et, tua si mihi certa voluntas,
Conubio iungam. Non adversata petenti
Adnuit atque dolis risit Cytherea repertis.

Veri enim simillimum mihi videtur, librario scribenti verba conubio iungam in mentem venisse verborum stabili propriamque dicabo ex I, 73, eaque ab illo huc translata esse. Tale quid saepe accidere, nemo nescit.

X.

Aen. VI, 210 sqq.

Conripit Aeneas extemplo avidusque refringit
Cunctantem et vatis portat sub tecta Sibyllae.

Vix quisquam dubitaverit, quin vocabulum cunctantem pugnet cum loco qui est

VI, 145 sqq.

Ergo alte vestiga oculis et rite repertum
Carpe manu; namque ipse *volens facilisque* sequetur,
Si te fata vocant; aliter non viribus ullis
Vincere nec duro poteris convellere ferro.

Neque quae Wagnerus adtulit ad locum explicandum, probabilia videntur esse; iudicat enim, inhaerentem arbori ramum vere dici cunctantem; addit, tantam esse aviditatem Aeneae, ut non decerpere, sed vi refringere eum ramum tamquam cunctantem fingatur. Eum secuti sunt Gossravius, Ladewigius*), Kappesius. Sed loci difficultatem non tolli hac explicatione, nemo non videt. Itaque primus, quod sciam, Waddelius locum ita emendare instituit, ut scriberet sectantem**). Post Waddelium Peerlkampius repugnantia versuum 211 et 146 offensus vel adductam vel cedentem scribendum esse iudicavit. Peerlkampii emendationes audaciores mihi videntur, quam ut probentur; Waddelii minus improbanda videtur, sed utriusque viri docti lectio haud scio an longius discedat a scriptura codicum. Itaque scripserim *nutantem;* nutare enim apud Vergilium

*) Quamquam Ribbeckius *undantem* Ladewigio placuisse dicit. Id ubi dixisset Ladewigius, reperire non potui.

**) Cf. Waddelii anim. crit. p. 22; Burmannus a. h. l.

saepe arbores dicuntur, et nutans ille ramus quasi ultro se secuturum esse ostendit.

XI.

Aen. VI, 419 sqq.

Cui vates horrere videns iam colla colubris,
Melle *soporatam* et medicatis frugibus offam
Obicit.

Hic locus desperatus ac paene desperandus est. Nam qui fieri potest, ut in melle sit vis soporandi? Multi editores (cf. Ladewigius, Kappesius a. h. l.) arbitrantur, hoc loco statuendum esse zeugma, quod vocant grammatici; vocem enim soporatam adcommodatam tantum esse ad verba medicatis frugibus, non ad melle; eam ob rem cogitatione addatur necesse esse participium quoddam, verbi gratia mixtam, ita ut sensus sit: Obicit offam melle mixtam et medicatis frugibus soporatam. Hanc interpretationem contortam et parum simplicem esse, perspicuum est; emendatione sine dubio opus est. Unus et item alter codex habet saporatam et in codicibus admodum vetustis est medicatam. Lectio medicatam pro medicatis non necessaria mihi videtur esse, sed saporatam pro soporatam scripserim.

Quod vox saporatus in infima (ut ait Forbigerus) Latinitate*) tantum legitur, mihi satis causae non est, cur Vergilio tribui non possit. Apud hunc poetam multa verba leguntur, quae a scriptoribus posterioris aetatis deprompta et repetita sunt. Satis habeo adtulisse infabricatus, quod verbum primum legitur Aen. IV, 400; postea Ennodius (2 ep. 6 et 8 ep. 59) per translationem verbo usus est.

*) Cf. Amm. Marc. XXXI, 2, 3; Tert. spect. 27; (Petron. fr. 19; Arnob. V, 12 ??).

XII.

Aen. VI, 533 sqq.

— — quae te fortuna fatigat,
Ut tristis sine sole domos, loca *turbida*, adires?

Turbida loca eadem esse atque obscura, tenebricosa, luce carentia loca, mihi persuadere non queo, cum talis vis et significatio nullo modo in turbidus possit inesse; cf. Ladewig. adnot. crit. a. h. l.: Die Bezeichnung der Unterwelt durch loca turbida, *verwirrte* oder *stürmische* Gegenden, ist absurd. Eam ob rem A. Nauckius scripsit *loca lurida*, adferens locos, qui sunt

Sil. It. XIII, 560 sqq.
Has passim nigrum pandens mors *lurida* rictum
Itque reditque vias e. qu. s.

Hor. carm. III, 4, 73 sqq.
Iniecta monstris Terra dolet suis
Maeretque partus fulmine *luridum*
Missos ad Orcum.

Quae quamquam ingeniosa est emendatio, tamen mihi videor aliam repperisse scripturae codicum propius accedentem; scripserim

loca torpida

i. e. loca, ubi omnia torpent et rigent, vita et motu carent, ob eamque causam formidolosa.

XIII.

Aen. VI, 743.

Quisque suos patimur *Manes.*

Hic locus multum interpretes exercuit, et longum est, ordien-

tem a Servio explicare, quam viam ingressi sint ad locum explicandum. Cf. Forbigerus a. h. l. Neque quisquam longius a Servio discessit, qui haec scripsit: Quisque suos patimur Manes. Supplicia varia, quae sunt apud Manes, ut si quis dicat: *iudicium patimur* et significet ea, quae in iudicio continentur. Sed quis concesserit, Manes posse esse idem ac poenas vel supplicia? Iure igitur, quamquam longe plurimi interpretes Servium secuti sunt, Wagnerus lectionem codicis γ mores haud contemnendam putavit. Alii locum emendare conati sunt, ut Wachsmuthius*) pro suos Manes commendavit suas poenas vel suos menses, et Peerlkampius *quisque suum patimur Manes* scribendum esse suspicatus est. Wachsmuthii emendationes improbo ut audaciores, Peerlkampii non laudo, nam suum non videtur esse posse debitam meritamque poenam. Itaque mihi locum etiam atque etiam consideranti placuit respectu v. 746 scribere

Quisque su*as* patimur *labes*.

Hanc lectionem huic loco, quo loco agitur de poenis et suppliciis malorum, plane convenire, nihil est necesse disputare.

XIV.

Aen. IX, 347 sqq.

Pectore in adverso totum cui cominus ensem
Condidit adsurgenti et multa morte recepit.
Purpure*a*m vomit ille animam et cum sanguine mixta
Vina refert moriens e. qu. s.

Sic vulgo legitur et interpungitur. Verba multa morte

*) Athen. I p. 269.

multi editores (in quibus Suepflius et Peerlkampius) explicant comparantes locutiones multa nocte, multo die, ita ut sit multa morte idem ac morte multum progressa (bei schon weit vorgerücktem Tode). Quam explicationem reperio quoque apud Ladewigium in quinta Aeneidis editione (a. 1871), in editione sexta (a. 1875) Schaperus verba multa morte per metonymiam posita esse censet, ita ut significent mit strömendem Blute. Qua in explicatione secutus est Heynium *morte* pro *sanguine* dictum esse arbitrantem, et Ameisium qui demonstrare conatus est*), verbis multa morte a poeta id significatum esse, quod nos dicimus mit vielem todtbringenden Blutverluste.

Quae cum explicationes dedita opera quaesitae mihi viderentur esse, praesertim cum verba multa morte, etiamsi explices ex analogiis, quas supra adtuli, hoc tantum loco inveniantur, iam pridem mihi persuasi, legendum esse multa morte purpure*u*m, ita ut purpureum coniungatur cum vocabulo ensem; quam lectionem iam Petro Burmanno notam fuisse, nuper demum cognovi ex editione huius viri docti. Postea Vossius (ad Georg. IV, 373) eandem lectionem commendavit. Accedit, quod Servius et purpuream et purpureum legit. Itaque legerim:

Pectore in adverso totum cui cominus ensem
Condidit adsurgenti et multa morte recepit
Purpure*u*m. Vomit ille animam e. qu. s.

Qua lectione omnis difficultas sublata mihi videtur esse; nam vocabula multa morte sunt morte multis inlata, multa caede.

---

*) In disputatione illa Homerische Kleinigkeiten p. 16.

XV.

Aen. XI, 85 sqq.

Ducitur infelix aevo confectus Acoetes
Pectora nunc foedans pugnis, nunc unguibus ora,
Sternitur et toto proiectus corpore terrae.

Ita in codicibus omnibus versus scripti sunt, nisi quod discrepant in scriptura nominis Acoetis. Sed difficultas inest in v. 87, quia participium proiectus non perspicuum est, quo referendum sit; eam ob rem hunc versum editor Parmensis deleri voluit. Contra Peerlkampius omnem difficultatem expeditam esse arbitratur, si pro et scribatur aut. Ribbeckius post v. 87 lacunam esse statuit; Ladewigius, quem secutus est Schaperus, verbum proiectus per prolepsin explicat. Wakefieldius ad Lucr. III, 895 sic legi vult:

Sternitur, *ex* toto proiectus corpore terrae.

Wagnerus comma post sternitur posuit et in verbo proiectus verbum auxiliare, quod vocant grammatici, deesse existimat.

Ex hac tanta sententiarum varietate adparet, quanta sit loci difficultas, quae singulorum verborum emendatione tolli nullo modo posse videtur. Si legas aut, nihil videtur proficí; verbum auxiliare hoc loco male omitti, Peerlkampius docuit; Wakefieldius locum non explicasse, sed depravasse videtur, nam quid sit *ex* toto corpore proiectus, non video. Neque prolepsis videtur inesse in vocabulo proiectus, cui rei repugnat conlocatio verborum. Videtur enim Vergilii consuetudo dicendi ferre, ut participium per prolepsin positum conlocet ante verbum finitum. Cf.

G. I, 318 sqq.

Omnia ventorum concurrere proelia vidi,
Quae gravidam late segetem ab radicibus imis
Sublimem *expulsam eruerent* e. qu. s.

Aen. II, 736

— *confusam eripuit* mentem.

IX, 13

— *turbata arripe* castra.

Equidem persuasum habeo, versus 86 et 87 omnino delendos et legendum esse:

Ducitur infelix aevo confectus Acoetes;
Ducunt et Rutulo perfusos sanguine currus;
Post bellator equus e. qu. s.

Aut si duos illos versus retineas, ut faciles sint ad intellegendum alia verborum conlocatione opus est hunc in modum:

Ducitur infelix aevo confectus Acoetes:
Sternitur, *et toto proiectus corpore terrae*
Pectora nunc foedat pugnis, *nunc unguibus ora**).

XVI.

Aen. XI, 160.

Contra ego vivendo vici *mea* fata, superstes
Restarem ut genitor.

Haec sunt verba Euandri dolentis ex morte Pallantis filii. Qui cum uxorem praedicasset felicem, quod illum diem, quo filius occidisset, non vidisset: vivendo, inquit, vici mea fata. Apertum est, hoc loco vincere fata esse diutius

---

*) terrae est locativus ut Lucan. IV, 647 sternique vetabere terrae; Liv. V, 51, 9 sacra terrae celavimus; cf. Haasius ad Reisigii Lat. Sprachw. p. 629 sqq.

vivere, quam fato sperare licet. Leges enim naturae ferunt, ut parentes ante liberos moriantur. Sed cum commune omnium fatum sit, ut parentes ante liberos moriantur, Euander vix potuit dicere: vici *mea* fata. In vocabulo mea perspicuum est, latere mendum aliquod. Si scripseris *fera* fata, omnis sublata difficultas est, neque opus est coniectura Peerlkampii legentis vidi pro vici, cum praesertim verba sequentia superstes restarem ut genitor male cohaereant cum antecedentibus, si scribas vidi.

Posse fata adpellari fera, testis est
Hor. carm. I, 15, 4

— — ut caneret *fera*
Nereus *fata*.

XVII.

Aen. XII, 870 sqq.

Infelix crinis scindit Iuturna solutos,
Unguibus ora soror foedans et pectora pugnis.

Miror, versum 871 nulli editorum et interpretum suspicionem movisse. Quid enim potest esse mirabilius, quam quod Iuturna in v. 870 commemorata in sequenti versu soror adpellatur, cum nulla iusta causa subsit, cur subiectum, quod repeti nihil necesse erat, vocabulo soror significetur? Manifestum est, illum versum inrepsisse in hunc locum ex IV, 673, quo loco est profecto aptissimus, hoc loco est alienissimus, et pugnat cum praeceptis grammaticae. Itaque haud dubie tollendus est.

VITA.

Ego, Otto Güthling, natus sum Mindae Westfalorum a. d. VII. Kal. Mart. anno MDCCCLIII patre Carolo Eduardo, gymnasii Lignicensis directore, et matre Carolina, e gente Schmidt. Fidei addictus sum evangelicae. Literarum elementis imbutus sum in gymnasiis, quae sunt Boleslaviae, Lubani, Lignitii. Testimonium quod vocant maturitatis adeptus in Georgiam Augustam Gottingensem, nobilissimum bonarum artium et literarum domicilium, veni, et nomen professus apud Philosophorum Ordinem per triennium scholis VV. CC. H. Sauppii, E. de Leutschii, F. Wieseleri, A. W. Bohtzii, H. Lotzii, C. Wachsmuthii, W. Muelleri de literis antiquis et germanicis deque philosophia explicatis interfui. Quibus viris omnibus maximam gratiam et habeo et semper habebo.

Paulo antequam examen quod vocant pro facultate docendi subirem, in gymnasio Lignicensi pueros docere coepi literas maxime Graecas et Latinas, quo etiam nunc munere fungor.

